

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
1091

1089

1095

1085

1100

1080

1040

0990

0590

0090

Ende

Anfang

518

videatur, quam ut postea voluptuosius et appetentius omnium turpitudo libidiinis (**65 a**) exerceatur. Multam inquietudinem sustinuimus noctibus propter insolentias eorum per illum mensem, sicut sequentia decebunt. Igitur die appropinquante, dum se ingurgitassent et camelos onerare vellent, invenerunt sibi unum camelum furto abductum esse. Vagantur enim fures per desertum; qui in rupibus per diem stant et transeuntes turmas considerant, ubi noctibus maneant, et cunctis dormientibus subintrant occulte et solvunt vel asinos aut camelos et accipiunt, si possunt, sportas et saccos. Turbati autem erant camelarii et duo de eis cum hastis per regionem discurrerunt, quaerentes bestiam, nos vero onera perditeae bestiae alteri imposuimus et de Laccraris profecti sumus per loca arenosa. Post tres autem horas venerunt camelarii cum bestia perdita et habebant vestimenta sanguine conspersa et hastas cruore madentes; invenerunt enim duos fures cum bestia in quodam specu, ad quem vestigiis bestiae et furum prodentibus venerunt, unum autem ex illis hasta interfecerunt, alter prolapsus evasit mortem. Similis est casus ille sicut Virgilius de Hercule casunr recitat. Dum enim Hercules hospitaret cum Evandro, boves suos locavit ad armenta. Porro non longe a loco habitabat in quodam antro gigas ingentis statura, Cacus dictus, filius Vulcani, vomens ore ignes, ibique latrociniis et furtis cunctos turbabat. Hic a specu egressus noctu boves Herculis cauda traxit in antrum, quos dum Hercules diminutos cerneret, nec quorsum errassent posset advertere, invenit vestigia furis de armento ad antrum, adcurrit Hercules, vi illum ex antro eduxit et clavo interemis bovesque reduxit.

Interea processu continuato extra montana venimus in regionem Madian, super littus maris rubri, quamvis adhuc longe essemus ab aquis. Haec regio dicitur Madian, a civitate Madian, quam aedificaverat quidam filius Abrahae de Katura, dictus Madian, eamque nomini suo dedicavit, sicut habetur Genes. XVII. De illa civitate primi mercatores leguntur Genes. 36. fuisse Madianitae, qui emerunt Joseph. De hac fuit Jethro, primas et princeps Madian, de quo etiam supra

